



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 1. Nuptias non concubitus, sed consensus facit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

Ratio.

Quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona; ergo, cum veritatem bonæ vitæ (hæc enim in regula intelligitur, & non veritas Justitiæ aut Disciplinæ) relinquere sit peccatum, rectè dicitur priùs permittendum scandalum, quàm di-
ctam veritatem relinquendam esse.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Confessarium potius permittere de-
bere, ut aliquis Innocens damnetur, quàm ut ex confessione
sciat aliquod peccatum, quod conducat ad innocentiam rei
monstrandam, uti communiter docent Theologi.

Deducitur 2. Confessarium obligari ad sigillum con-
fessionis etiam cum periculo propriæ vitæ servandum; eò
quòd, cum periclitatur utilitas publica, negligenda sint com-
moda propria, uti in Authent. ref. quæ Cod. communia, quæ
legatis & ex le. unic. fin. C. de caducis tollendis dicitur.

Deducitur 3. Confessarium non posse uti notitiâ confes-
sionis ad aliquod quantumcunque grave malum averten-
dum, si periculum sit, ne peccatum in ea explicatura indirectè
reveletur, uti communiter docent Authores.

ARTICULUS X.

De Principiis ad Sacramentum Matrimonii
Spectantibus.

PRINCIPIUM I.

Nuptias non concubitus, sed consensus
facit.

Sensus.

Hoc est, etiam si duæ Personæ, Mas scilicet & Femina
inter se copulentur, non tamen propterea censebuntur valido
Matrimonio conjunctæ, nisi præter ipsam copulam insuper
legitimus in Matrimonium contrahendum consensus acce-
dat.

Authoritas.

Desumptum est ex le. 30. ff. de reg. Juris, illudque refert,
& explicat Decius in tr. de reg. Juris.

RA-

Ratio.

Quia cum Matrimonium sit mutua traditio corporum in ordine ad usum conjugalem, tam parum sine consensu consistere id poterit, quam parum alii contractus absque inter consensu sunt validi.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etiam si quis sub promissione Matrimonii copulam extorqueat, nondum tamen consistere Matrimonium, nisi etiam ipsa Mulier violata promittat futuram nuptias, uti communis docet Theologorum.

Deducitur 2. Puellam impubere alteri desponsatam non posse post pubertatem cohabitare Sponso, nisi novum consensum eliciat, uti iterum docet communis.

Deducitur 3. Matrimonium cum errore circa Substantiam versante contractum esse nullum, etiam si copula præcesserit, uti cum S. Thoma docent Suar, Sanchez, Laymann alii communiter.

PRINCIPIUM II.

Omnis res, per quascunque causas nascitur,
per easdem dissolvitur.

Sensus.

Hoc est. omnis actus, qui non tantum in prima productione, sed etiam in conservatione ab ipsius agentis arbitrio pendet, dissolvitur per dissensum à voluntate, sicut ab eadem per consensum moraliter productus est; quem sensum videtur indicare Glossa in reg. 1. l. 5. decret. Item reg. 1. §. 3. ff. de reg. Juris; nec videtur posse esse alius, nisi in pluribus casibus admittere velimus falsam esse regulam, uti consideranti patebit.

Authoritas.

Desumptum est ex l. 5. decret. c. ult. reg. 1. & l. 50. ff. 3. ubi dicitur: nihil tam naturale est, quam eo genere quidquid solvere, quo colligatum est; ideo verborum obligatio colligitur verbis, nudi consensus obligatio contrario dissensu dissolvitur.

Ratio.

Quia hoc ipso, quod supponatur talis actus à voluntate